

ANDRELINO (Fausto)

BUCOLICA (1393 vers)

FAUSTULUS AUSONIOS INDIGNANS LINQUIT AGELLOS
ET GALLA INVITUM TRUDIT AD ARVA GREGEM.

LYGDUS

B_1 v.1 Faustule, tam celeri properans discedere gressu,
2 invitias quo trudis oves, cum pingua carpant
3 gramina, cum valeant patula vitare sub ulmo
4 jam jam venturum torrenti sole calorem ?
5 Undique nam resonat raucis nemus omne cicadis.

FAUSTULUS

6 Pascua jamdudum campo meliora feraci
7 luxuriare ferunt, cultos qua flexilis agros
8 Sequana circumdat fluctuque irrorat amoeno.
9 Illuc has pecudes longinqua per avia duco.

LYGDUS

10 Sic patrios fines antiquaque, Faustule, rura
11 linquis, ut externi fias novus incola campi ?
12 Ah coeptam dimitte viam ; te flebilis arbor,
13 te vidui fontes, te flumina maesta dolebunt.

FAUSTULUS

14 Heu, possessa diu natalis jugera ruris
15 extremus veteri dolor est liquisse colono.
16 Sed gravis impellit tardantem injuria gressum,
17 nec longum deterret iter, nec fervidus ardor.

LYGDUS

18 Hac mecum aesculea paulum requiesce sub umbra,
19 et refer indignam quae causa incenderit iram,
20 cur nolis patrio requiem decerpere campo,
21 donec sol nimios declinans temperet aestus.

FAUSTULUS

22 Cum foret, heu, genitor multi ditissimus agri,
23 dixit, "Io felix magnum pete, Faustule, Pana,
24 haud patrias rediture domos, nisi carmina pago
25 invidiosa tuo docta modulere cicuta".
26 Dixit, et innumero plenam dedit aere crumenam.
27 Hic docuit calamos labris inflare sonoros
28 nec carmen triviale deus, quod Tityrus ipse
29 si semel audisset, tenuem fregisset avenam
30 qua sua fagineis sub frondibus otia lusit.
31 Jubila cum canerem nostris incognita silvis,
32 ipse ego rurali sum factus Apolline vates,
33 serpentesque meis hederas laurumque virentem
34 crinibus imposuit ; pagus non inscius exstat.

35 Muneris accepti dulce est meminisse levamen.
 36 Interea promissa pater vadimonia solvens
 37 rem totam exhausit, saevo cogente tyranno,
 38 et mea libertas cecidit, dominoque coactus
 39 ingrato servire fui ; nam tradita, Lygde,
 40 nulla fuere meo compendia digna labore.
 41 Jam quater incisa est flaventi messis in agro
 42 ex quo tale jugum subii ; dum sustinet aetas,
 43 sunt alibi miseris quaerenda viatica canis.

LYGDUS

44 Pro certis incerta petis ; sors durior esset,
 45 si fieret dominus peregrina ingrator ora.

FAUSTULUS

46 Lygde, mihi rediens quaerenti dixit Amyntas
 47 illic esse deum miti pietate foventem
 48 quos fera praecipitat fato Fortuna sinistro.
 49 Huic animus sollers, huic est pastoria virtus
 50 grata, nec argutis juncta est quae fistula cannis
 51 displicet ; augusta si majestate fruamur,
 52 hac facilem gracili flectemus arundine divum.

LYGDUS

53 Faustule, si qua tui tangit te gratia Lygdi,
 54 dic age, dic dulci dispersum nectare carmen.
 55 Ignibus hibernis, aestiva gratius umbra
 56 illud erit nobis, et odora suavius herba.

FAUSTULUS

57 "Summe deus, nostrae data sunt cui jura salutis,
 58 indiga paupertas rebusque inimica secundis
 59 huc lassum me ferre pedem Fortuna coegit.
 60 Da, precor, optata da tanti numinis aura
 61 posse frui ; tutis geminae sub vallibus alae
 62 infelix tutare pecus, quod viribus haustum
 63 omnibus esse vides. Vacuas si missa per auras
 64 verba volant, usto seu tellus subdita Cancro,
 65 seu me spectabit Thule suprema vagantem,
 66 donec mansuram liceat mihi ponere sedem.
 67 Ah justas admitte preces finemque supremum
 68 his impone malis. Semper sollempnia vota
 69 persolvam, nec pauca tuas ovis imbuet aras ;
 70 et mea jam trito dependens fistula collo
 71 semper honoratos uni tibi concinet hymnos".

LYGDUS

72 Quantum et quale refers carmen, divine poeta.
 73 Ipsa etiam audito mitescent marmora cantu,
 74 nam strepis arguta nihil armentale cicuta.

FAUSTULUS

75 Si loquor haec humiles superantia verba myricas,
 76 materies erexit opus subjecta remissum.
 77 Si nescis, nihil est triviali more sonandum
 78 ante sacrum numen ; virgulta exilia poscunt
 79 stridentes stipulas et pastoralia verba.
 80 Sic me Parrhasio docuit Pan primus in antro.

LYGDUS

81 O felix numen, dulci quod tanta canore
 82 fistula mulcebit cynos imitata sonoros.
 83 Frigida jam summis descendens montibus aura

84 spirat et accinctum Latiis te subtrahit agris.
 85 Felicem jam carpe viam sedesque beatas,
 86 fataque perpetuam praestent meliora quietem.

ECCE TUOS FALLAX FUGIENDOS CURIA MORES EXPERTUS.
 VERO IANULUS ORE REFERT.

LOLLIUS

B_2 v.1 Janulus ecce redit domina modo laetus ab urbe ;
 2 obuius ipse ferar monstrataque gaudia poscam.
 3 Tu vigil observa pascentes, Orne, capellas,
 4 ne forsitan miles nostri populator agelli
 5 tristia damna ferat ; nihil est a milite tutum
 6 prodiga cui desit consumpti copia nummi.

ORNUS

7 Si foret hic Argus, centeno lumine custos,
 8 inuia non melius repentes saxa capellas
 9 servaret, Lolli ; vigilem decet esse subulcum.
 10 Vade igitur tutus, ac pleno gaudia sacco
 11 intellecta refer ; propior sed Janulus instat.

LOLLIUS

12 Venisti tandem ; num vilia, Janule, rura
 13 sordescunt, postquam regalia tecta subisti ?

IANULUS

14 O felix Lolli villa contente paterna,
 15 securas quicumque casas et ruris amoeni
 16 vernantes contemnit agros, ut magna sequatur
 17 atria, nodosas pro libertate catenas
 18 triticeoque petit meliorem pane farinam.
 19 Publica fama volat multas quod Regia curas
 20 sollicitata parit, nec fama est verior ulla.
 21 Cum deprensa putas, artis tunc lubrica palmis
 22 vota fluunt, tamquam liquidas anguilla per undas
 23 labitur aufugiens, cum retia cassa fefellit.
 24 Nec desunt promissa tamen. Si nota revisas
 25 limina, te retrahens intrantem janitor arcet,
 26 et magnum causatur opus ; tibi clausa moranti
 27 ostia quam pateant millenus praeterit annus.
 28 Et demum obliquus transverso lumine Caesar
 29 respicit admissum, tacitoque immurmurat ore.
 30 Auribus hunc pronis vultuque exaudit aperto
 31 qui sua caudato vestigia syrmate verrit,
 32 atque illum scalas primum comitatur ad imas.
 33 Postmodo vadit inops simulata fronte vocatus ;
 34 vertice nudato labrisque trementibus orat
 35 et flexo inculcat titubantia poplite verba.
 36 Huic deus arridens magnis cum montibus ampla
 37 aequora promittit ; sed inania verba feruntur,
 38 nota sit ut tacito manans ex ore repulsa.
 39 Munera si qua dedit, queritur domus omnis et acri
 40 rumpitur invidia praesensque avertere numen
 41 nititur et rabido, taetrum vomit ore venenum.

42 Prospera cui penitus flatu Fortuna benigno
 43 aspirat rara est niveis cornicula pennis.
 44 Ac veluti cupidus fallacem piscis ad hamum,
 45 huc properat glomerata cohors similemque referre
 46 cogitat eventum, donec consumpta juventa
 47 se videt irrisam nec habet quo tristia vitae
 48 Tempora sustineat, justoque affecta dolore
 49 incidit ante pilos extrema in funera canos.
 50 Ipsa etiam stabulo mendica senecta relicto
 51 et nuda in palea moritur, nec sicca petitis
 52 ora rigantur aquis ; hic, hic manet exitus illum
 53 qui rectum sectetur iter nec deviet umquam.
 54 Si cui tecta nitent fulvo radiata metallo
 55 atque alto vicina polo, seu palpo dolosus,
 56 versutus seu leno fuit, seu proditor ater,
 57 sedulus aut magnam stillans delator in aurem,
 58 vel solas ostentat opes quas praebuit uxor
 59 omnivolo stuprata duci vel tempore parvo
 60 quas cumulat rodens imas usura medullas.

LOLLIUS

61 Cur igitur tam laetus ades ? Cur dulcia tecum
 62 carmina fundebas ? Numquid mutata fritillo
 63 alea succedit melioraque puncta ministrat ?

IANULUS

64 Jam triplex transivit hiems, dum pendulus ipse
 65 spe fruor incerta, dum vento pascor inani ;
 66 nunc votis lucere meis nubesque fugare
 67 incipit obscuras caelo sol clarus aperto.
 68 Namque ipsum paucis divum donavimus haedis
 69 Gallica qui firmis moderatur legibus arva.
 70 Hic me sordentem mensa dignatus opima est
 71 et propria servire manu, conditaque centum
 72 fercla modis posuit loculosque replevit inanes.
 73 Dixit et, "O pastor ne crastina Janule cura
 74 te premat afflictum ; primo cum vere volucrem
 75 argutam accipies ; magalia rustica linque
 76 et pete neglectis augusta palatia silvis,
 77 namque tuum aspiciet melior Fortuna laborem".
 78 Haec et plura reor numen majora daturum,
 79 nam rata verba facit, tetrica sed ponderat omnes
 80 lance viros, Lolli, scandendaque sidera dicit
 81 passibus alternis, et tempora munere pensat.

LOLLIUS

82 Molis inaccessae si summa cacumina prenda,
 83 fac clavum infigas validum, ne versa revolvat
 84 sublimem Fortuna rotam, prensamque soluto
 85 crine deam teneas ; sudata peculia debent
 86 cauta mente regi. Fumantia culmina cerno ;
 87 visam ego dimissas saxosa in rupe capellas.

IMMITI RAPTUS DEFLETUR MORTE MENALCAS
PARSAQUE MENTITO FAMA SINISTRA SONO.

MOPSUS

B_3 v.1 Heus, heus, o Lycida, tacito quid solus in antro
2 dulcia contemnis festi consortia pagi,
3 consona dum laetos exercet fistula cantus ?
LYCIDAS
4 Improba ne rerum quae sit fortuna mearum,
5 Mopse, petas ; veterum seriem meminisse malorum
6 nostra recrudescit majori plaga dolore.
MOPSUS
7 An tua flagranti trajecit viscera telo
8 ille deus curis qui dulcia miscet amaris
9 gaudia, qui certo semper domat omnia cornu ?
LYCIDAS
10 Heu, nimis urgenti gravioris pondere molis
11 opprimor, et damnum nullo reparabile casu
12 conqueror, et crebris trita est spelunca querelis.
MOPSUS
13 Eia age, prome graves imo de pectore curas,
14 dum mea pascuntur laetos armenta per agros,
15 dum saltat comprehensa cohors, dum libera mens est.
LYCIDAS
16 O te felicem, saturas cui pingua reddant
17 prata boves, liceat festa cui semper in umbra
18 mollia securos traxisse per otia soles.
MOPSUS
19 Non minus afflicto magnos sub corde dolores
20 Ipse premo, rumpuntque meum suspiria pectus,
21 sed tenui tristes solamur arundine casus.
22 Versibus alternis tamen astra infesta queramur
23 aversosque deos et lamentabile fatum,
24 nam gravis anxietas vario sermone levatur.
LYCIDAS
25 Postquam igitur tantus nostros audire dolores
26 ardor inest, sociique juvant commercia luctus,
27 haec preme muscosi nativa sedilia saxi.
MOPSUS
28 Non ita fontanum sitientia prata liquorem
29 affectant, nimio scissa est cum terra calore,
30 quam placet haec sedes communibus apta querelis.
LYCIDAS
31 Venerat huc magnus Germanis pastor ab agris
32 quos rapidus gelida Rhenus circumfluit unda ;
33 sive pimum insereret, solidos seu verteret agros,
34 seu teneras vites, parvas seu poneret ulmos,
35 non fuit in toto major sollertia campo.
36 Summa quidem laus est, sed adhuc majora supersunt
37 heu lacrimis memoranda meis. Hic carmine dulci
38 attonitas traxit tigres silvasque comantes.
39 Non ita pulsantem rupes Parnasia Phoebum,
40 Orphea non Rhodope sensit, non Pana Lycaeus.
41 Hic mihi caelestes motus causasque latentes
42 morigerasque dedit, crassumque ex corde veterum

43 expulit agresti, sed non sine munere certo.
 44 Litore quam myrtus gaudet, quam vitibus ulmi,
 45 mutua tam nostrum commercia foedus habebat.

MOPSUS

46 O qualem eximio laudem sub corpore jactas ;
 47 quam vellem tantus gracilis moderator avenae
 48 mulceret nostras optatis cantibus aures.

LYCIDAS

49 Ille senex utinam vocalia solveret ora ;
 50 non mea demissos cervix inculta capillos,
 51 exsanguis nec barba genas proluxa teneret,
 52 nec gemerem solo tam tristia fata sub antro.

MOPSUS

53 Quis Notus infelix, subita quae grando procella
 54 importuna ruit ? Quae sors tam dira secuta est ?

LYCIDAS

55 Sopitis heu muta sonis nunc fistula torpet,
 56 deflet et artificem crudeli funere raptum
 57 unica quod rapuit patrio solatia ruri.
 58 Non laurus Phoebos, non illic baca Minervae,
 59 non Cereri messis gignit, non vitis Iaccho,
 60 nudaque jejunis dumescunt arva colonis.
 61 Unde manet tali signatus carmine caespes :
 62 orbatu extinctum pastores flete Menalcam,
 63 cantibus argutis victus cui cessit aedon.

MOPSUS

64 Heu fuerat tantus majori pastor arista
 65 dignior. Invicta resecat Mors improba falce
 66 omne genus, veluti faenum per prata resectum
 67 tonsa jacet, nudos aut messis caesa per agros.
 68 Si foret hic superas ullis revocandus ad auras
 69 fletibus, aspiceres oculis manantia nostris
 70 flumina ; sed quoniam non est revocabilis illis,
 71 desine plura queri, nostros simul accipe casus.

LYCIDAS

72 Dic prius ex alto quam sol declinet Olympo.

MOPSUS

73 Ipse ego vivebam Gallis securus in agris,
 74 tempus agens placidum ; campi nam sola colendi
 75 cura erat, austerum cantu solante laborem,
 76 atque meas servare boves, et solibus isdem.
 77 Bis mulctram expressis spumantem implere papillis.
 78 Nostra Palatino donata coagula Phoebos
 79 grata quidem fuerant, vultuque accepta sereno,
 80 nec spretum est tereti meditatam carmen avena.
 81 Nescio quis pastor tumido fuit advena fastu,
 82 obscura de gente satus, quem paupere cultu
 83 excepit conjunx scorto generata salaci.
 84 Hic, quia carmen inops stipula stridebat inani,
 85 invidus et nostra macrescens laude furensque
 86 credula seduxit pastorum corda malorum,
 87 ut mea sanguineo laniarent corpora ferro.
 88 Heu nullo aspiceres tam spissa foramina cribro
 89 vulnera quot misero crudelia corde tulissem,
 90 ni placida incensos sedassem voce tumultus.

LYCIDAS

91 Pro scelus infandum ! Diversa in frustra secandus,
 92 gutture seu fixo per compita cuncta trahendus,
 93 perfidus ille foret. Res est dis acta secundis,
 94 quod non ipsa tuo rubefacta est terra cruore.

MOPSUS

95 Ecce alius rabido, sed adhuc incognitus, ore
 96 in caput hoc latrat commentaque turpia fingit.
 97 Nam me nuda refert manibus post terga ligatis
 98 Parisiis arsisse rogis, quod sancta deorum
 99 numina sprevissem ; falsoque infamia teste
 100 auxiliata viget mentitaque crimina vulgat.
 101 Inde fuit populatus ager, raptumque sacellum
 102 quo tenuis quondam seniorum vita parentum
 103 sustentata fuit ; gravidas, heu, vendere vaccas
 104 cogor, ut Ausonios mittam Meliboeon in agros
 105 aere gravem multo, ne ficta injuria labe
 106 ignorata fluat, nec iniquo iudice damner,
 107 et templum amissum reparem, maestosque parentes
 108 afflictamque domum soler. Dum talia narro,
 109 vox et lingua cadit nimio suppressa dolore.

LYCIDAS

110 Non mala durabunt tanti contagia morbi,
 111 sed penitus convulsa ruent, ceu montibus altis
 112 nix aliquando ruit tepido resoluta calore.
 113 Si modo sollicitos oculis Deus aspicit aequis,
 114 forsitan auctorem falsi rumoris iniquum
 115 ignea poena manet. Nullius conscia culpae
 116 pectora solentur ; speculo conspectius ipso
 117 verum, Mopse, patet ; communia verba fatentur
 118 nulla latere diu vanae mendacia linguae.

MOPSUS

119 Scis bone, scis Lycida, cum festa Palilia fumant,
 120 ad sacra quot dederim bifores altaria cantus,
 121 scis opus assurgens verae quod pandit opertum
 122 religionis iter ; coeptum si quando laborem
 123 exsequar, invitus rumpetur Livor, et atros
 124 in sua convertet dentes et viscera morsus,
 125 ut canis in sese dentes rabiosus acutos
 126 acriter obvertit, postquam saevire negatum est
 127 corpus in externum, vanasque latravit in auras.
 128 Sed reliquum properans sermonem intercipit Hesper,
 129 et saturas ad plena boves praesepia cogit
 130 ducere. Quod superest, cum crastina fulserit hora,
 131 [LACUNE]

CANTATUR VICTOR CERTANTI CAROLUS ORE,
 ATQUE NOVA GALLUS CONIUGE GAUDET AGER.

CEDRUS

B_4 v.1 Laure, quid absentem tumida me voce laccessis ?
 2 En adsum intrepidus, nec bella indicta recuso

3 garrulitate tua Torvo quid lumine Cedrum
 4 respicis instantem ? Fumo non terreor illo
 5 Quem lagana emittunt paleis ferventia tostis.
 LAURUS
 6 Nubila si fulgens in tempora vertitur aer,
 7 nil mirum est, viso cum capra haec marcida faeno
 8 vitanda irritet religatum cornua taurum.
 CEDRUS
 9 Audes rasa pecus crepitu balare trementi ?
 10 Seu levibus calamis libeat, seu voce sonora,
 11 sive agili saltu aut forti certare palaestra
 12 aut jaculo celeri, jam jam mora segnis abesto.
 LAURUS
 13 O quanta infelix opprobria victus habebis,
 14 omnia si fuerint praesenti emissa duello
 15 Hoc inclusa sinu cerebroque reposta profundo.
 CEDRUS.
 16 Scilicet occulti cerebroso in vertice grilli,
 17 innumerisque sinu cimex manabit olenti,
 18 spurcius aut animal, passu cui plurimus arto
 19 seu pes digna dedit, longus seu nomina pedor.
 LAURUS
 20 Non est abjecti nisi vox audita cuculi.
 21 Quid brevis iste pulex, quid vilis homuncio possit,
 22 parvula quem solo formica voraret hiatu ?
 CEDRUS
 23 Ipse cani similis scabioso semper apertis
 24 dentibus oblatras, morsu laniasse rapaci
 25 nescius et quemvis pronus tremuisse minantem
 26 et timidam cepisse fugam tritasque latebras.
 27 Efficiam toto fluxas de corpore guttas
 28 defessa excutias dextra laevaue madenti.
 LAURUS
 29 Tu me sudantem efficies qui frigore nudus
 30 assiduo confectus eas digitosque coactos
 31 calfacias pleno solis cum flatibus ore ?
 32 Mene putas vilem, digitos quod ruptus hiantes
 33 calceus ostendat, scissa est quod vestis utroque
 34 ex umero pendens, et crassa cannabe suta ?
 35 Extensane homines palma metiris ineptos ?
 36 Grator hic habitus, quam me vicinia furem
 37 defraudata vocet. Furto sunt nota patenti
 38 pallia quae gestas ; piceatis omnia palmis
 39 tacta rapis ; quid, si suspendia digna parentur ?
 CEDRUS
 40 Hoc, nisi conticeas, illisum hastile cerebrum
 41 sanguineoque solo fundet caput undique fractum.
 LAURUS
 42 Crebros puncte nimis calces extendis aselle.
 43 Nunc tua nudarem detracta viscera pelle,
 44 quam ferres proprio, victus ceu Marsya, dorso ;
 45 sed bonus ecce venit media inter jurgia Pinus.
 PINUS.
 46 Arrectum cur, Laure, pedum ? Cur, Cedre minator,
 47 saxa parata tenes ? Num vos male sana furentes
 48 armatas conferre manus dementia cogit ?

49 Jamque truces iras, jamque aspera mittite bella,
 50 et vicibus certate piis ; me iudice certa
 51 pignora ponantur, quae pura et candida virtus,
 52 non odium letale, gerat, nec pugna cruenta.

CEDRUS

53 Sis ingrata licet crocitantanti gutture cornix,
 54 et dispar certamen eat, tamen ista subibo
 55 proelia vel raucis numquam dignanda cicadis.

LAURUS

56 Garrula limoso quid gurgite rana coaxas ?
 57 Pignora quid cessas tantam excludentia litem
 58 ponere ? Certantes solus probet exitus ambos.

CEDRUS

59 Terribilem depono bovem palearia longa,
 60 cervicem immensam, latus ingens, cornua panda,
 61 hirsutas aures atque ubera plena ferentem.
 62 Calcatam pes signat humum spatiosus, et ipsam
 63 cauda notam verrit gressus demissa per imos.

LAURUS

64 Insignem maculis taurum candentibus addo.
 65 Indomitam nulli cervicem subdit aratro,
 66 cornibus et rigidis pedibusque ferocibus arcet
 67 vincla injecta procul, cunctique instare tremiscunt,
 68 et pleni horrendis reboant mugitibus agri.
 69 Sed cupidas compesce manus, ne mutua jam jam
 70 vulnera conspiciat litemque infestet amaram
 71 arbiter electus ; vox est cantare parata.

PINUS

72 Incipe ; communem medio me in caespite ponam,
 73 jurgia ne surgant factis inopina sinistrais.

CEDRUS

74 Musae felices, Musae, quae pectora semper
 75 nostra refovistis, Cedro dictate canenti.
 76 A stipula semota levi monumenta precamur,
 77 non tenui canna, vestro sed digna favore ;
 78 res non parva venit, magnoque est ore sonanda.
 79 Divinum Augusti partum et majora referte
 80 incrementa dei triplex cui Gallia servit
 81 regnaque avita simul, ferro devicta potenti.
 82 Rex fuit, attonito solis qui nutibus orbi
 83 laetitiam incussit subitam trepidumque timorem.
 84 Legitimi subiens socialia vincula lecti
 85 ipse Deum supplex humili sic voce rogavit :
 86 "O pater omnipotens, caelum qui mobile et astra
 87 ignea, qui liquidum pontum terramque rotundam
 88 aeraque immensum formas, tellure recenti
 89 primaevum qui fingis Adam costaque virili,
 90 heu, heu vipereis deceptam fraudibus Evam,
 91 si te principio veneror, si fine carentem,
 92 atque unum trinumque simul, da gignere natum
 93 magnanimis similem proavis nec laude paterna
 94 degenerem, sed adhuc majora et plura gerentem".
 95 Vix ea finierat, gravida cum filius alvo
 96 materna conceptus erat. Fetuque soluto
 97 silvestres coiere deae ; pars lilia portat,
 98 pallentes aliae violas rubeosque hyacinthos,

99 pars cingit roseis infantia tempora sertis.
 100 Et tenera exsultans dulci cum melle labella
 101 irroravit apis ; pariter longissima nentes
 102 stamina volverunt concordi mente Sorores.
 103 Postquam prima aetas rigidis instructa magistris
 104 exiit, et campo fuerat concessa potestas
 105 liberiore frui, procerum hastile movere
 106 atque artum in gyrum luctantia flectere colla
 107 fortis equi didicit, fulvos agitare leones
 108 spumantesque apros, praedamque referre potitam.
 109 Perdidit ut longa confectum aetate parentem,
 110 unanimi gratus populo moderamina sumpsit
 111 immatura puer, justaque refrenat habena ;
 112 eminet et sensus juvenili in corde senilis.
 113 Haec cecinit Cedros ; memores narrate Camenae
 114 congrua quae fuerint Lauri responsa sequentis.

LAURUS

115 Nunc nunc, Phoebe potens, modulanda in carmina vires
 116 funde tuas, ne turpe ac victum dedecus astem.
 117 Hunc etiam cantabo deam qui Marte secundo
 118 infestas acies sternit, gentesque superbas
 119 sub juga demittit faciles reddentia mores.
 120 Ecce Minor celeri superata Britannia bello
 121 paret, et insignis superest nova causa triumphii.
 122 Hunc si magnanimum tractantem proelia Caesar
 123 strenua vidisset, Romano Gallia numquam
 124 imperio subjecta foret. Pax aurea nuper
 125 et segura quies tranquillaque tempora florent.
 126 Deposito squalore nitet nuptaque recenti
 127 jubilat omnis ager vocemque ad sidera jactat,
 128 atque alium ex alio natum per laeta precatur
 129 tempora perpetuo productaque fila metallo.
 130 Dum domus haec stabit solio subnixa verendo,
 131 afficiet varia totum formidine mundum
 132 extollens sublime caput famamque perennem.

PINUS

133 Arbiter indignus tanti certaminis adsum.
 134 Hoc major censura notet ; nimis alta petuntur,
 135 iudicio non apta meo. Jam lite peracta
 136 et pacem aeternam laetasque adjungite dextras.

PINGUIS AGER CANITUR PRESSO SULCATUS ARATRO,
 UBER ET APRICO VINEA CULTA IUGO.

B_5 v.1 Forte senex Corydon simul et crinitus Amyntas
 2 sederunt viridi fluvialis margine ripae.
 3 Illi solus ager, sola est huic vinea curae.
 4 Quisque suas extollit opes, sub iudice nullo
 5 haud discors certamen habent. Prior inquit Amyntas.
 AMYNTAS
 6 O nimium felix possessum quisquis agellum
 7 desidis exercet pulso torpore veterni.

8 Non mala paupertas, non ora famelica cogunt
 9 improba concussa pelli jejunia quercu.
 10 Obsequitur bene cultus ager majoraque reddit
 11 fenora quam capiat, messique capacia desunt
 12 horrea ; tam larga est undanti Copia cornu,
 13 annua sic nostro respondet glaeba labori.
 14 Cum nimis ignavos intra sua tecta colonos
 15 aspera claudit hiems, agrestia cudimus arma
 16 sollertique manu soles superamus inertes.
 17 Vere novo pinguem depresso vomere terram
 18 curvus aro, fortesque gemunt sub pondere tauri,
 19 atque iterum obliquo proscissum est aequor aratro,
 20 et crassas rigido glaebas disrumpe ligone.
 21 Haec eadem autumnus tellus versatur aperto
 22 e gremioque habilis deprensus dextera semen
 23 proicit, et pariter sulcis abscondit aratis
 24 ardua quos cingunt altae munimina fossae.
 25 Et Cereri sua sacra fero, ne grandis acervus
 26 desit et optati spes irrita decidat anni.
 27 At cum luxurians tenera seges advenit herba,
 28 pascimus, ut rarus gravidae sit culmus aristae
 29 et melius rectum vacuas se extollat in auras.
 30 Nec minus infelix lolium lappasque nocentes
 31 et crebro sterilem rastro insectamur avenam.
 32 Aestibus in mediis ne flaccida decidat herba,
 33 exustum induco sinuosum flumen in agrum ;
 34 et bibulis limum sulcis diduco palustrem.
 35 Si qua nocet frondosa satis crescentibus umbra,
 36 curva falce premo ; volucres expello rapaces
 37 ingenti sonitu fictae vel imagine formae.
 38 Quid, cum matura flavescit campus arista ?
 39 Si nostra herbosis obducta est area clivis,
 40 vertimus, et molli solidata foramina creta
 41 aequamus tereti saxo plantaque sequenti.
 42 Post seco triticeam segetem, sparsosque manipulos
 43 ictibus immensis ferio ; percussa refertis
 44 grana fluunt spicis, paleae cumulantur inanes ;
 45 et discussa levem jacio frumenta per auram,
 46 et mundata loco. Nullis granaria rimis
 47 rodentem admittunt murem, cribroque frequenti
 48 excutio infestas spisso cum pulvere blattas.
 49 Urimus et secta stipulas gravitate carentes.
 50 Nec semper frumenta sero ; vel pingue legumen
 51 accipit, aut totum durescit campus in annum,
 52 et sparso exhaustas reparat laetamine vires.

CORYDON

53 Graniferum non damno solum camposque feraces
 54 qui fuerint cupido jussi servire colono ;
 55 non tamen inferior nec dispar vinea ; fructu
 56 uberiore manet ; docet experientia saeculi
 57 longa mei ; multis exercitus usus ab annis
 58 doctior est primae molli lanugine barbae.
 59 Vineae sed pigro nil profectura colono ;
 60 exigit ingentem curam duosque labores.
 61 Seu deformis hiems, seu torrida fugerit aestas,
 62 ipse sero parili distantes ordine vites

63 collibus apricis croceam qua conficit uvam
 64 exoriens Phoebus ; sed glaebas ante supinas
 65 conterit aspirans Aquilo versique bidentes.
 66 Jungimus et raras contra mala flamina cannas,
 67 illarum infectus ne qua robigine cortex
 68 crescentem abrodat vitem. Dum bracchia palmes
 69 prima tener fundit, manibus decerpo repandis,
 70 sed validum ferro tabulatum scinditur unco,
 71 ut melius penetrans gravidam sol decoquat uvam.
 72 Atque infesta vetant textae pecuaria saepes.
 73 Ne calor intensus, nimium ne frigus adurat,
 74 saepius est ducta vitis circumdata terra.
 75 Et sulco defixa levi propago remittit
 76 aemula maternis melioraque germina ramis.
 77 Fervida cum summis vindemia collibus instat,
 78 carpimus ex plenis maturas vitibus uvas,
 79 fortibus et calathos umeris portamus onustos.
 80 Dumque lacu positas celeri pede rumpimus uvas,
 81 sordida tinguntur salienti corpora musto.
 82 Desuper expressos torquentia saxa racemos
 83 ponimus, astrictis munitaque dolia circlis
 84 implentur, raucumque cient nova musta susurrum.
 85 Inde coronatum patri cratera Lyaeo
 86 libamus cuncti magno clamore vocantes.
 87 Ut vitem sera spoliata fronde putavi
 88 atque fimo sparsi crebro sola fracta bidente,
 89 sub tectum sarmenta fero, flammaeque salubres
 90 lucentesque micant, madidus cum defluit umor.
 91 Hi duo pastores placida sic voce canebant
 92 Tityrus Ascraea lusit quae primus avena.
 93 Quisque suam exhausto villam sermone petivit.

FRANCUS INAUDITA DAMMAM POLIT ARTE NITENTEM,
 QUEM FERAT AD DOMINAM SORTE FAVENTE SUAM.

GALLUS

B_6 v.1 O quam vana teris poliendo tempora damma,
 2 deliciose puer, nam pectine semper eburno
 3 mansuetos verris clunes et lactea colla,
 4 suspensisque fricas manibus, gremioque tepenti
 5 hujus membra foves placido madefacta sopore.
 6 Instruis ut miti porrecta cibaria dente
 7 carpat, et ad nutus celeri pede currat eriles
 8 admotasque manus lambat ; cervice nitenti
 9 aurea dat crepitus dependens bulla sonoros
 10 caelatamque gerens molli sub imagine nympham.
 11 Munditiis innata viget ; per vulnera mille
 12 oppeteret potius, maculis quam sordeat atris.
 13 Frivulus hic labor est ; viridi dum gramine gutta
 14 matutina nitet, fecunda in pascua, France,
 15 duc avidas potius pecudes comitesque Molossos.
 16 Fructiferis operanda modis studiosa juvena est

17 sedulitate mera, senio ne, France, trementi
18 heu sis vicini vanus spectator acervi.

FRANCUS

19 Utile consilium profers, nec sancta recuso
20 maturi documenta senis, sed, Galle, probandum est
21 ingenii juvenilis opus quod mente sagaci
22 omnia praevideat baculo ventura senili.

GALLUS

23 Si viget in tenera velox prudentia mente,
24 cur verbis adversa facis ? Docilique juvena
25 cur tua venturos aetas non respicit annos ?
26 An dabit iste tuus tam larga obsonia damma,
27 ne gregis errandi te cura remordeat ulla ?

FRANCUS

28 Si labor esset iners, sterili si litus aratum
29 vomere, si vigilis consumpta impensa lucernae,
30 esset ovis pascenda mihi ; majora recessu
31 utiliore feram prima quam commoda fronte.
32 Nec spes fracta cadet, ni mens praesaga bonorum
33 sit falsa decepta fide votisque sinistris.

GALLUS

34 Haud motu credenda levi est, nisi causa liquescat
35 nota prius ; dubia dependet sorte futurum.
36 Votis saepe suis et tempore fallitur ipso.
37 Credula mens hominum ; sed si fortuna secundet
38 optatis ventura tuis, gaudere necesse est.

FRANCUS

39 Edita nympha lacu cycnos pascente canoros
40 hic ubi femineum sortita est Mantua nomen
41 Arverno stat juncta duci, quo bella movente
42 arma infesta tremunt, domitoque ex hoste triumphat,
43 qualis Thessalico Caesar memoratur in agro
44 hostiles superasse manus, vel qualis Achilles
45 Hectore ter rapto caesum fuit ultus amicum.
46 Non ita nix pura est canis quae montibus albet,
47 haud planta calcata gravi, quam pulchra nitentis
48 membra deae radiant ; clarumque decentia factum
49 nomina conveniunt sacrato imposta lavacro.
50 Cornigeros alii cervos capreasque fugaces
51 auritosque ferunt lepores ursosque feroces,
52 ast ego dona fero roseae quae congrua nymphae
53 mansuetaeque reor ; damma non tersius ipso
54 mitius aut animal, nec forma venustior exstat.

GALLUS

55 Forsitan haec eadem curas ridebit inanes,
56 France, tuas, moto nec cardine firma patebit
57 janua pulsanti, neglectaque dona jacebunt.

FRANCUS

58 Scilicet hoc tali natum est ex arbore germen
59 quae lassum dulci venientem amplectitur umbra,
60 nec mundi pars ulla jacet qua mitior arbor
61 fructificet ; nostro jam nota est illa palato,
62 dum vesana fames bilem stimularet acutam.

GALLUS

63 Omnia jejuno sapiunt vel pessima ventri.
64 Saepe bibi crassam caenosi fluminis undam

65 aestibus in mediis ; sitiendi molle Falernum
 66 illa mihi visa est, grato vel suavia gustu
 67 Massica, civili pressus vel clade Lyaeus.

FRANCUS

68 Dulcior haec nympha est illa quam daedala cera
 69 mellificavit apis ; tali pro nectare linguam
 70 caelestem ambrosiam sacrum quae spirat odorem.
 71 Interea coctum ferventi sinciput olla
 72 atque unctos lardo caules comedamus opimo.
 73 Ecce vocat tardos mensa nos, Galle, parata
 74 docta saporiferas Phyllis condire popinas.

SPLENDIDA SUNT MAGNO LAUDANDA PALATIA LUXU,
 PARVA SED EXILIS TECTA COLENDAS CASAE.

B_7

v.1 Jam medium Titan scandeat torridus orbem
 2 et lassos stimulabat equos, cum flebilis Harmon
 3 intravit gelidi sinuatum fornicis antrum.
 4 Quem procul ex alto prospectans vertice Brunus
 5 speluncam celeri cursu devenit eandem,
 6 atque ait, "O superis descendens cantibus Harmon,
 7 quos crebra fecere novem vertigine caeli,
 8 argutam nunc tange chelyn quam doctus Apollo
 9 donat, et ipse suas monstrat non invidus artes.
 10 Sed facilis resonetur amor ; nam basia centum
 11 Attica nunc tribuit redolenti mella labello
 12 Panthea, me nitidis medium complexa lacertis.
 13 Tange, nec optati differ modulamina plectri".

HARMON

14 Heu, mea nunc solito mens est aliena canore,
 15 et nova causa subest justaeque inopina querelae.
 16 En pecus infelix vix mucida vellera portat
 17 aegraque membra trahit macieque affecta suprema ;
 18 invenit et nullo pascendam gramen in agro.
 19 Conveniens curis modulandum est carmen amaris.

BRUNUS

20 Certe rumor erat Gallis vulgatus in agris
 21 quod tandem emeritus donati cultor agelli
 22 numine Caesareo fueras, viridique sub umbra
 23 dulcia permolli resonabas carmina voce.

HARMON

24 Heu, quam sunt isto distantia murmure facta.
 25 Non leve sic folium summaeque moventur aristae
 26 mobile quam verbum est quod subdola Curia jactat,
 27 Curia sollicitis non absona nomina curis
 28 jure gerens, blandis arridens Curia verbis.
 29 Credula corda fovet ventosaeque facta ministrat.
 30 Conveniens curis modulandum est carmen amaris.
 31 O ego vixissem patrio contentus agello
 32 nec factus proprio major pede passus inesset,
 33 et steriles Musae, desertaque plectra fuissent,

34 nam melior cura est simas pavisse capellas
 35 quam terere incertam per inania tempora vitam
 36 ridendisque manu muscis mansisse referta.
 37 Conveniens curis modulandum est carmen amaris.
 38 Quam mens laeva fuit, quam vanum pectus et excors,
 39 Curia cum subiit pedibus fugienda citatis,
 40 ut fugit infernus sacratam spiritus undam.
 41 A cane deluso documenta sequenda dabantur,
 42 ne peterem certis vanam pro carnibus umbram,
 43 quamvis majus erat visa sub imagine frustum.
 44 Sed plena extremis fossa est et sensibus arvom.
 45 Conveniens curis modulandum est carmen amaris.
 46 Heu numquam rigidus fidisque monentibus asper
 47 exemplo sis, Brune, meo, ne vulnere turpi
 48 ipse cadas proprii percussus saepe ligonis.
 49 Quam facile imprudens puteum delapsus in imum
 50 vix est difficili multoque labore retractus
 51 a sapiente manu. Laudato ingentia tecta,
 52 exiguas habitato casas ; nidoque relicto
 53 ne sis laudatam praeceps volitator ad urbem.
 54 Muscosos iterum fontes silvasque comantes
 55 et lympham optabis per levia saxa fluentem.
 56 Vertitur in longos grata est quae Curia luctus,
 57 inscia ceu volucris jactam cum viderit escam
 58 advolat, et laeto depascitur ore ; dolosis
 59 mox laqueis deprensa gemit, sortemque priorem
 60 optat, et assiduis maeret sua fata querelis.
 61 Conveniens curis modulandum est carmen amaris.
 62 O proprie felix sorti quicumque quiescat
 63 nec nimias affectet opes miseraeque fugator
 64 ambitionis eat, popularis spretor et aurae,
 65 ponat inornatas simplex cui vilica mensas
 66 cum revocat serus sub nigra crepuscula Vesper,
 67 et dulcis conjunx, et circum pignora cara
 68 assideant passumque levant sermone laborem.
 69 Conveniens curis modulandum est carmen amaris.
 70 Credideram nummis seniores, Brune, parentes
 71 sustentare meis, sed mercenaria cogor
 72 vincla pati varias mundique errare per oras,
 73 ut spes frustratas multo sudore reponam,
 74 si modo cura potest vigiles operata labores
 75 amissam reparare diem. Quam fabula turpis
 76 heu fierem rediens Latios pannosus in agros.
 77 Namque putat simplex nulloque expertus ab usu
 78 alliget ut pinguis Gallas lucanica vites.
 79 Conveniens curis modulandum est carmen amaris.
 BRUNUS
 80 Cautior ipse meas per inhospita tesqua capellas
 81 semper agam, certos cantuque amplectar amores.
 82 Sunt fugienda cito monstrata pericula cursu.

INFELIX CORYDON SORTEM DEPLORAT AMARAM ;
SI NESCIIS, MAESTUM NON NISI MAESTA DECENT.

QUIRINUS

A8 v.1 Esse quid hoc dicam querulo quod semper in ore
2 flebile carmen habes nec rebus laeta profanis
3 inseris, o Corydon ? Dulces modo cantat amores
4 Tityrus, amissum pulsus modo deflet agellum.
5 Diversum delectat opus ; fastidit eisdem
6 semper onusta cibus et eodem mensa sapore.
7 Pulchrior est varias tellus quae parturit herbas,
8 ipsaque non uno confecta ex flore corona.

CORYDON

9 Sulcandum est aequor ceu conscia tempora suadent ;
10 si fera perstat hiems, non est de litore tuto
11 dissolvenda ratis, Zephyro sed danda secundo.
12 Ut strictum evasit furibundi militis ensem
13 praecipiti saltu vicinam jactus in undam,
14 Tityrus uda gemit siccantem vellera caprum.
15 Postmodo frondosa lentum meditatur in umbra
16 carmen, et erecta est bis senis ara diebus
17 quae juveni ablatum reddenti fumat agellum.
18 Nos quoque securi juveniles lusimus ignes,
19 nec quisquam tam laetus erat per compita festa ;
20 sublimem aereis feriebam saltibus auram.
21 Primas vere rosas, Cerealem aestate corollam
22 cumque autumnali brumalia munera fructu
23 noster habebat amor, furtivaque gaudia sumpsit.
24 Tunc bene, tunc capto fervens in pectore sanguis,
25 mollities tunc apta fuit ; nunc vita severo
26 tempore mutata est, et major cura subivit.
27 Intempestiva decerptum ex arbore sorbum
28 tempora maurant et acerbos longa racemos.
29 Non tamen exhaustus vigor est nec languida segnis
30 corpora torpor habet ; quamvis jam tempus utrumque
31 canescat, nondum digitis numerata recurrunt
32 septima lustra meis ; sed dulcia gaudia pellit
33 sollicitudo gravis vultusque obnubilat albos.
34 Nulla adeo spinosa riget quae tempore longo
35 anxietas non mitis eat ; sed nostra dolores
36 auget inexhaustos, nec durum avertere fatum
37 tam tristis fortuna potest. Praesentia semper
38 transactis pejora manent, nec certa futuri
39 signa boni video ; tanta est caligo malorum.
40 Nulla quidem est arbor docta quae falce notata
41 non servet nostros inciso cortice versus ;
42 lassus et umbrosa recubans sub fronde viator
43 carmine perlecto vires instaurat ademptas,
44 et bona discedens auctori fata precatur.
45 Sed sine fruge labor, sed barbarus arida verba
46 heu male singultans multo ditabitur aere
47 et niveis incedet equis ostroque superbus
48 contemnet morsu quem rustica cingit adunco
49 fibula, et attrito vincta est cui sura cothurno.
50 Dulcis et Amphion et magnus habebitur Orpheus.

QUIRINUS

51 Barbarus ingenuas vis muneret inscius artes ?
 52 Vis humilem indigno vestitum murice asellum ?
 53 Ausonios repetas fines qua Martia septem
 54 addita Roma jugis reliquas supereminet urbes
 55 alta velut lentum pinus Cybeleia vimen.
 56 Illic praesentes divos et prospera forsan
 57 sidera cognosces, ut Tityrus ipse solebat.

CORYDON

58 Nescis, heu nescis quam sit mutata, Quirine,
 59 illorum natura deum ; modulabile carmen
 60 degustant, fateor, sed nummi solus habendi
 61 fervet amor ; radio solari est gratius aurum.

QUIRINUS

62 Huc modo, quid facias, Corydon, modo distrahor illuc,
 63 ceu dubius quo vertat iter si quando viator
 64 incidit in bivium ; sed tandem Gallica tellus
 65 forsitan in sola tua damna resarciet hora.

SILVESTRES GENEROSUS AGROS CONTEMNIT IOLAS,
 AGRESTIQUE STATU GRANDIUS OPTAT OPUS.

B_9 v.1 Numquam sorte sua pastor contentus Iolas
 2 agresti majora statuolvebat, et illi
 3 rusticitas invisafuit ; contrariafata
 4 resnimis artadabat. Tandem sub vallibus imis
 5 hos secum accenso rupit de pectore questus :
 6 "O sors infelix, o dura et tristis egestas,
 7 an cedes mutata loco ? Numquamne ligones
 8 deponam rigidos ? Sic valle inglorius ista
 9 vivam ego ? Sic custos immobilis usque videbo
 10 avia pascentes inter dumeta capellas ?
 11 Ah potius pecus omne cadat, silvasque recisas
 12 exustumque nemus spectem quam gnava juvenata
 13 tam vilem sortita locum contenta quiescat.
 14 Cum lux albescet gallo praedicta canenti,
 15 majores tentabo vias, panesque recentes
 16 rubraque poma feram ; nec pressis turgidus uvis
 17 cantharus abfuerit, nec magno caseus orbe.
 18 Ut deerunt duplici portata viatica pera,
 19 silvestres comedam bacas praeduraque corna ;
 20 puro fonte bibam, donec meliora dabuntur
 21 pascua. Sed quidnam miseri penuria victus
 22 magnanimo fortique viro metuenda videtur ?
 23 Nondum tinctus erat prima lanugine vultus,
 24 cum Felsina meas Patavinaque rura Camenas
 25 Ocnaeique lacus Tiberinaque senserat unda.
 26 Nec satis hoc fuerat ; gelidas transcendimus Alpes
 27 longum iter ingressi, campus qua Belgicus et qua
 28 Celticus apparet, nec non, vesane Garumna,
 29 pestifero calidi qua flamine tolleris Austri,
 30 et Pyrenaei saxosa cacumina montis

31 sunt pedibus calcata meis ; nec defuit umquam
 32 fertilis audito partus modulamine victus.
 33 Et nisi liventi Discordia tinctorum veneno
 34 inceptas fregisset opes, non viveret alter
 35 ditior in Gallis nec fortunatior agris.
 36 Hoste tamen domito solor ; quid victa juvaret
 37 pectora tam grandis congesti summa peculi ?
 38 Strenua paupertas rebus praelata subactis
 39 in pretio majore venit nec laude minori.
 40 Infima sunt, fateor, generis natalia nostri,
 41 sed nullum inveni generoso corde priorem.
 42 Namque alius pastor vel sola mapalia curat
 43 aut asinum lana venali ducit onustum
 44 non tacita exclamans emptricem voce per urbem ;
 45 sarcula, marra, ligo, rastrum, traha, vomer, aratrum,
 46 aut ovis assiduo seu bos versatur in ore.
 47 Haec animis aliena meis quis crederet umquam,
 48 inclita quod tenui regnarent stemmata panno ?
 49 Hinc freta lata petam vel gurgite mergar in alto
 50 vel capiam ingenti spatiosum pondere pisces ;
 51 hic nisi pungentes spinas caenumque palustre
 52 prendere nil possum. Sed mobilis ipse putabor,
 53 quod pelle indigna propria. Male providus essem,
 54 si plebem incertam sequerer ; mutabile vulgus
 55 fortunam extollit facilem duramque reprendit.
 56 Hoc saltem laudabit iter cui mente profunda
 57 excellens natura subest ; stat pectoris alti
 58 quaerere fortunam quacumque in parte latentem.
 59 Virtus rara juvat, fateor, sed maximus ille,
 60 ille deus nostras solitus laudare Camenas,
 61 numina dextra dabit reliquosque in vota ligabit
 62 nostra deos. Ipsis res est non parva misellis,
 63 si faveat sanctus caelo vel solus in alto.

REGIA MAGNILOQUUM FACIUNT STIPENDIA VATEM
 QUI POTERAT NULLOS PAUPER INIRE SONOS

B_10 v.1 Tantane visendi tenuit mora regis, Iola,
 2 ut tua cessarit taciturnis fistula cannis
 3 Parisio defleta solo ? Nam garrulus Idas
 4 omnia disperdens raucum per compita carmen
 5 ingenti simulata bovi ceu rana tumberat.
 6 Ignoto solitus latuisse foramine sorex
 7 non viso media infenso lascivit in aula.
 8 Tota sed absentem clamabant rura poetam,
 9 deliciis privata suis ; nisi tempore sero
 10 amissam infelix caudam non noscit asellus,
 11 scilicet aestivis quando stimulatus ab oestris
 12 ille furit nec habet denso quo possit ab hoste
 13 offensam texisse cutem, sed corpore toto
 14 non evitati patitur fera vulnera morsus.
 15 Si strepat ingrata raucescens voce cicada,

16 nil mirum est ; vitium geniali sorte tributum
 17 insequitur ; vis est Naturae invicta potentis.
 18 Sed nequit insanus rudentis clamor aselli
 19 arcanos penetrare polos. Facit aemulus hostis
 20 obsita ne possit longa robigine virtus
 21 aeterno marcere situ ; miseranda loquaci
 22 invidia fortuna caret, livorque probatur
 23 commiserante vicem melior pietate sinistram.
 24 Sed cum falsa semel trivialem suasio Musam
 25 imbuit, haec vano petulans in corde senescit
 26 non ullis vellenda modis, alienaque damnat
 27 carmina concinno quamquam modulata canore ;
 28 verba rudes inter balbutit inepta catervas.
 29 Scilicet incedens puerili inflatus honore
 30 corvus et argutum crocitans si tentet olorem,
 31 aufugit explosus totisque irrisus ab agris,
 32 lucifuga obscuro latitat ceu noctua luco.
 33 Nec quisquam infestat doctam nisi stultus avenam,
 34 omnis et aucta viget crassis inscitia fibris.
 35 Si mulces gratis raras concentibus aures,
 36 garrula contemnas ventosae murmura plebis.

CORYDON

37 Ista Theocritio gravior sententia versu
 38 nescio quid nostras majus diffudit in aures
 39 quam tua praeteritis aetas praeluserit annis.

IOLAS

40 Heu, heu pauperies victum pannosa minutum
 41 sollicito acquirens animo non ructat hiatu
 42 grande Sophocleo carmen ; vix publica vena,
 43 vix stridens sterili culmus succurrit in agro.
 44 Ipsa etenim nimio mens intercepta dolore
 45 et vegeti clauso sensus fudisse meatu
 46 robora nulla potest, viresque hebetata potentes
 47 strangulat illa suas, reserant quas gaudia tandem,
 48 auxiliis concepta novis, grandesque profunda
 49 materias tellure cavant. Sublatus ab ipso
 50 Tityrus Augusto Mavortia coeperat arma
 51 horribili resonare tuba, pressusque maligna
 52 paupertate miser nullaque afflatus ab aura
 53 vix minimum rudibus culicem deflevit avenis.
 54 Sic ego, sic tandem secessum nactus amoenum
 55 et pulsa optatam jam paupertate quietem
 56 nescio quid magnum tacitis excudo sub antris
 57 fabrilis nequeat tota quod malleus arte
 58 cudere ; nam triplex, quo non praestantius ullum
 59 eminet, ingenio fabricandum est numen et arte.
 60 Atque ipsos fulvo conflatos aere colossos
 61 marmoreo in templo ponam, cunctisque Kalendis
 62 ad sacrum tauros mactabo altare nitentes.
 63 Nobilis est campos animi vulgare per omnes
 64 otia quis dederit vitae tranquilla beatae.

CORYDON

65 Ante alios felix pastores, profer, Iola,
 66 gaudia, nam praestant majus narrata levamen.

IOLAS

67 Stat deus, o Corydon, Rhemensi summus in orbe

68 regalem sacro frontem qui tingit olivo
 69 sedibus a superis misso, cui jure regenda
 70 Gallica Caesareo commissa est numine tellus.
 71 Exstat et alter adhuc quovis celebrandus honore,
 72 regia communem fecit quem cura patronum
 73 imperio consulta suo. Non posset utrumque
 74 dicere lingua deum milleno gutture nixa ;
 75 deficit humanum tanto sub pondere robur.
 76 Scilicet est inopem miseratus uterque senectam
 77 et nostrum augustas nomen portavit ad aures.
 78 Juppiter ille novus fama compulsus eadem
 79 me voluit medio cantantem audire theatro.
 80 Ut primum intravi, Tyrio vestita colore
 81 corpora spectavi membris compacta torosis
 82 pendentisque suo torques gestantia collo ;
 83 et nitida fultus gemma circumdabat orbis
 84 formoso digitos Baccho vel Apolline dignos.
 85 "O quantum haec", dixi, "villo indumenta caprino
 86 et distant duro suris perone revinctis".
 87 Juppiter ecce venit magno stipatus honore.
 88 Ipse olim vultus inter nutritus agrestes
 89 admiror primo aspectu, mox poplite flexo
 90 ante ipsum quaesita Jovem modulamina fundo,
 91 scilicet ut bello claram expugnavit aperto
 92 Parthenopen patrios victorque redivit in agros,
 93 quamvis Hesperio vetitus foret orbe regressus.
 94 Nescio qua nostri captus dulcedine cantus
 95 ille fuit ; fulvi saccum donavit et aeris
 96 vix istis delatum umeris, cunctosque per annos
 97 pensio larga datur qualem non lentus habebat
 98 Tityrus umbrosis resonans sua gaudia silvis.
 99 Quid referam celeri scriptas brevitare tabellas
 100 signatasque simul ? Nostris quid ovantia Musis
 101 atria ? Vel medios virtus it grata per hostes.
 102 Post caecas semper lux est speranda tenebras.

CORYDON

103 O quanta in tacito concepi gaudia corde,
 104 ex vultu manifesta meo ; non fictus, Iola,
 105 semper amor durat fortuna notus utraque.
 106 Ne tumida sis mente, precor, sortemque secundam
 107 aequa mente feras ; totum est invisita per orbem
 108 quae ruit ex alto dejecta Superbia caelo.

IOLAS

109 Immo ego nescio quem figulo genitore creatum
 110 Hyblaeis imitabor agris ; subvectus in altum
 111 ille apicem cenans patriae non immemor artis
 112 aurea fictilibus miscebat pocula vasis.
 113 Providus hic docuit sortem reverenter habendam
 114 exili cuicumque viro cui dona repente
 115 ditia proveniant. Bavio vel iudice dicar
 116 laudandum servasse modum ; submissior ibo
 117 quo major blando Fortuna arriserit ore.
 118 Nam si quis nimium caelo confisus aperto
 119 gestiat, adversa non nubila tempora ferre
 120 tempestate potest ; tanta imprudentia regnat.
 121 Dicere plura libet, magno sed nata Tonanti

122 progenies alia jam jam modulanda cicuta
 123 materiam praebet laetis concentibus aptam.
 124 Est aliquid dextris descendens omen ab astris.

CORYDON

125 Irrita ni vanam fallant praesagia mentem,
 126 accedet major meritorum summa tuorum,
 127 et demum gradiens donata in templa sacerdos
 128 mystica sacra feres ; totus concurret ad unum
 129 pagus adorantem, neque enim te gratior alter.

IOLAS

130 Jam contenta manent certo patrimonia fine
 131 munifico concessa deo ; nova taedia gignit
 132 heu nimium linguae vox importuna procacis.
 133 Muta licet fuerint, servi benefacta probati
 134 maxima quaeque petunt ; bene agenti prospera cuique
 135 omnia succedunt nullis sperata diebus.

QUID FUGIS O GALLAS PAEDICO BALBE FAVILLAS ?
 GALLICA QUOD NEQUEAT, FLAMMA BRITANNA DABIT.

LYCIDAS

B_11 v.1 Vix fugat exoriens gelidas Aurora tenebras,
 2 tu tamen irrigua meditans spatiaris in herba,
 3 Mopse, pruinoso nec lubrica terra liquore
 4 sparsa nec impediunt canenti gramina rore.

MOPSUS

5 Nunc tua quam fuerint veri praesaga futuri
 6 verba revolvebam, Lycida, quam praescius augur
 7 Phoebeo quodcumque canas veracius ore.
 8 En detecta patet nostrarum injuria rerum
 9 fatidico praedicta tibi ; mendacia tandem
 10 caeca relucescunt. Justi manifesta dedere
 11 signa dei cunctos soliti punire nocentes
 12 imaque scrutantes taciti penetralia cordis.

LYCIDAS

13 Quis purum indigna candorem labe notavit,
 14 Mopse, tuum ? Volitans quae murmure fama sinistro
 15 heu te Parisiis combustum dixit in agris,
 16 et sanctam sprevisse fidem Christumque potentem ?

MOPSUS

17 Balbica forte tuam levitas pervenit ad aures,
 18 lanigeras dum pascis oves haedosque petulcos ;
 19 nulla etenim silva est, nullum nemus, avia nulla,
 20 nulla levem quae non exclamant marmora Balbum.
 21 Postquam furtivi celatos carminis usus
 22 prodidit haec cornix alieno picta colore,
 23 et falsa assumpsit Balbae cognomina gentis
 24 quem vendens minimo vilissima scruta triente
 25 Accelina domus stabulo generavit olenti,
 26 turpior hic vivens et crimine foedior omni
 27 Parisios infecit agros ceu pessima messes
 28 herba resurgentes. Ipso mirabile dictu

29 heu scelus admisit : noctem cum lusa per altam
 30 alea cessarat, varium spoliabat ovile
 31 et tacito praedam furto comedebat adeptam.
 32 Altus inexploto gurges dabat omnia ventri
 33 luxuriosa suo : plebeiae vilia mensae
 34 pocula spernebat, spumanti prodiga Baccho
 35 cinnama commiscens summaque voragine potans
 36 ebria nec certo ponens vestigia gressu,
 37 sola resumebat pingui saginata popina.
 38 Immemor ah nimium priscique oblite veterni
 39 Balbe tui, quondam pedibus cum rura petisti
 40 Gallica nudatis laceroque obductus amictu
 41 Euganeam fugiens Trojani Antenoris urbem,
 42 exstructis ne justa rogis incendia ferres.
 43 Ut fuerat satiata fames et plena tumebant
 44 corpora, pro superi, molles fodiebat ephebos
 45 vulnere postico ; tenti simul inguina drauci
 46 podice laxato fellantique ore subibat.
 47 Prodigiosa jacens Veneris post furta nefandae
 48 jam nitidae mediam lucis stertebat ad horam
 49 cruda vomens multo commixtaque frusta Lyaeo.
 50 Majus et ille nefas multoque urgentius addit :
 51 scilicet in sacro nullum libamine Christum,
 52 et casu volvente refert nulloque moveri
 53 aeternos rectore polos, ipsasque suprema
 54 casuras post fata animas ; quin ore profano
 55 heu nimis ignaro coepit suadere popello
 56 ducendam quovis genialem tempore vitam.
 57 Hic sanctas Veneres devotaque Sabbata ridens
 58 polluit et sumpta jejunia mystica carne,
 59 et nullum intrabat fassurus crimina templum
 60 innumeris admissa modis, verique jacebat
 61 religio neglecta Dei cultusque superni.
 62 Sic levitas innata ruit, sic pectore caeco
 63 mens insana furit stultique inscitia cordis
 64 in damnum laqueata suam casusque futuros.
 65 Interea accenso missus censore satelles
 66 hoc monstrum prensurus erat populoque vidente
 67 igniti plenis olei cocturus aenis,
 68 sed volat admonitus celeri properantior Euro
 69 fertilis Oceanus qua rura Britannica ditat.
 70 O foedam turpemque fugam, nam nocte silenti
 71 obscurum infelix servili inductus amictu
 72 praecipitavit iter ; nummos cum veste latentes
 73 interiore jacit, stricto quasi noxia ferro
 74 viscera transfodiens. Quid agat mens conscia facti
 75 non videt ulla mali ; tanta est caligo malorum.
 76 Mendicum adjuvit decocta pecunia Balbum.
 77 Insontis tamen ante mei mentita professus
 78 crimina curvato veniam tulit ore petitam.
 79 Ut semper divina pii vestigia Christi
 80 sanctaque facta sequar, debet quaecumque remitti
 81 ultori vindicta Deo ; quod Galla nequivit,
 82 flamma Britanna dabit ; majori faenore dicunt
 83 offensi dilata Dei tormenta venire.

LYCIDAS

84 Cur non ista solo sentina voratur hiante ?
 85 Cur pluuius non ignis adest qui tanta cremaret
 86 infandi portenta mali ? Ceu Gomora quondam
 87 et Sodoma exarsit caelestibus obruta flammis.

MOPSUS

88 O quam perversa est Balbi natura profani,
 89 quae melius reticenda fuit quam pauca referre
 90 sordentis delicta viri ; breuitate probantur
 91 crimina quae volitant cunctos dispersa per agros.
 92 Nauseet ista licet scabies, tamen ulcus apertum
 93 et sanies monstrata iuvat quoscumque disertos
 94 et mala conficiunt cautos aliena notantes.
 95 Si videat certo conjunctas foedere mentes
 96 concordisque animos, Discordia seminat arma
 97 unanimi annexos astro fractura gemellos.
 98 Candidus en pastor, qui Gallica personat arva
 99 carmine concinno, primis dilexit ab annis
 100 divinum ambrosio sortitum nectare nomen,
 101 et parilis crescebat amor, cum perfidus iste
 102 fraudibus occultis vinctos dissolvit amantes.
 103 Heu quam lingua nocet diro suffusa veneno
 104 et Stygiis imbuta malis ; non ossea lingua est,
 105 omnia cum tritis sed dissipat ossa medullis.
 106 Ast adamanteo religata est gratia nodo
 107 et solida duplicata fide, cum proditus auctor
 108 et committentis nota est fallacia linguae.
 109 Hic gnavos quoscumque odit rabidoque probatos
 110 dente viros lacerat morsuque cruentat acerbo ;
 111 testis adest Corydon teneros qui corrigit annos
 112 arte Palaemonia, testis Meliboeus, et Idas,
 113 pectine vocali stupefacta arbusta trahentes.
 114 Quos modo praesentes fictis laudavit amicos
 115 vultibus et dulci palpo cum melle perunxit,
 116 Ipse venenati cauda serpentis acuta
 117 pungit et absentes aloe denigrat amaro.
 118 Illius, o Lycida, factis caritura relatis
 119 verba fluunt veluti rimosa lympha lagena
 120 deperitura fluit ; semper torquetur opima
 121 vicini tellure sui redituque beato.
 122 Semper honesta fugit ; pathicis stipata cinaedis
 123 huic tantum caupona placet, talique diurni
 124 nocturnique simul scelerisque inventor iniqui.
 125 Ni fallor, radix tantorum incepta malorum
 126 ventura non morte cadet ; ceu quercus adulta
 127 diffundet vacuas ramalia longa per auras.
 128 Ista sit o potius valida seu caesa bipenni,
 129 seu rapidis exusta rogis, quam fronde nocente
 130 letiferum germen radix infecta remittat.
 131 Numquam speratis commissa piacula poenis
 132 perditus iste luet, genitus qui crimen ad ipsum
 133 ardet in omne scelus laudemque ex crimine quaerit.
 134 Improba non umquam capitis delicta nefandi
 135 impunita vigent ; sequitur sua poena nocentes,
 136 seu velox, seu tarda, viros. Sed numine dextro
 137 sedula proveniunt sinceræ praemia vitae.

138 Jejunas pascamus oves Christoque merenti
139 solvamus tenui modulatas carmine grates.

ADVERSAM SUPERAT TOLERANS INDUSTRIA SORTEM,
SEMPER ET EX HUMILI SURGIT IN ALTA LOCO.

MOPSUS

B_12 v.1 Unde ista, o Corydon, laetos armenta per agros
2 herbida lascivo carpentia pabula morsu ?
CORYDON
3 Lubrica continuo tellus non imbre madescit,
4 Mopse, nec excelsos semper ferientia montes
5 fulmina cernuntur ; nitidum post tempora caelum
6 atra serenatur tenebrisque renidet abactis.
MOPSUS
7 Quorsum tam longo repetita exordia versu ?
CORYDON
8 Scilicet est salsis cui plena cucurbita granis
9 frigentem ad Boream durat Zephyrumque tepentem
10 vere novo exspectat, sorti nec cedit iniquae.
MOPSUS
11 Ast ego verba sequens pagos detrita per omnes
12 frigora tum primum gelido nascentia vento
13 deteriora puto Borea quam hiberna gelante.
14 Pello igitur crebro spirantia flamina potu
15 magnos ante focos ; nec abest formosa Neaera
16 quae dulci argutos cantu devincit olores.
CORYDON
17 Qui primae adverso fortunae decidit ictu
18 nec sperat meliora sequi non tempore quoquam
19 lanigeras proprio pecudes includet ovili,
20 sed custos alienus erit vitamque per omnem
21 emendicato deget sua tempora pane.
MOPSUS
22 Ergo si mixta venturum grandine nimbium
23 coniciam, mediis maneam securus in agris
24 et pluviae contemptor aquae, nec tecta subibo,
25 nubila dum fuerint caelo resoluta sereno ?
CORYDON
26 Haud subito interdum fodiendos impete cervos
27 sollicitus venator habet ; nunc valle sub ima,
28 nunc saxosa inter montanae devia silvae
29 vestigat multa latitantem indagine praedam.
30 Interea magno nigrum cum murmure caelum
31 intonat, et rapido fulmen ruit igne trisulcum.
32 At non tecta petit timido vicina pavore
33 coeptum opus immensum linquens venator ob imbrem,
34 ingentique canes clamore instigat odoros.
35 Ecce alta occurrit ramosus cornua cervus.
36 Hic armos, hic colla rapit, hic crura Molossus ;
37 advolat et praeceps cursu venator anhelus
38 atque intra lacerum figit venabula cervum

39 robusta ferrata manu, victorque triumphans
 40 quaesitam multo praedam sudore reportat.
 41 Tota domus plausum ciet exhilarata frequentem
 42 ardentisque focos silvam superingerit altam ;
 43 attonita exsiliunt lambentes sidera flammae ;
 44 corpora laetantur vestes exuta madentes
 45 quae recreant frictis fomenta calentia membris.
 46 Mox cervum excoriat centumque in frusta resectum
 47 abluit, et partim veribus transfixa salignis
 48 viscera detorret, partim spumantibus ollis
 49 elixat, dapibusque alii diversa futuris
 50 condimenta parant segnem irritantia gustum.
 51 At non ora gerunt torpens venata palatum
 52 nec poscunt vario confecta sapore moreta.
 53 Accita ad lautam properans vicinia cenam,
 54 pars vetera impletis, pars vina recentia vasis,
 55 fumosum fissa portat pars sinciput aure.
 56 Pro re quisque sua convivam laetus amicum
 57 rurali de more refert ; onerantur opimis
 58 structae epulis mensae, atque avido discumbitur ore.
 59 Praeteritas multo curas Meliboeus Iaccho
 60 diluit. "Hos montes, haec", inquit, "concava vallis
 61 ima relustravi, hoc cervum sub colle vagantem
 62 confodi, canibus totos laniantibus artus".
 63 Scilicet emerito non parva est cuique voluptas
 64 ardua perpeccos post facta referre labores.
 65 Ut satura explerunt turgentem ad guttura ventrem,
 66 saltantes ducunt choreas festivaque dicunt
 67 carmina tam pinguem multum extollentia cenam.
 68 Dumque remissa silet languenti fistula folle,
 69 desistit resoluta cohors, cyathosque capaces
 70 sumit et immersam pleno se ingurgitat haustu.
 71 Cornuaque infigunt muro cervina tenaci
 72 ante coronatos tali cum carmine postes :
 73 Haec rediens caeso Meliboeus cornua cervo
 74 aeternum posuit tolerandi insigne laboris.
 75 Inde casas repetunt humiles vilique grabato
 76 imponunt nimio titubantia membra Lyaeo.

MOPSUS

77 Quid si frustrata consumptum luce laborem
 78 cerneret ? Ingenti nonne hic maerore sepultus
 79 impia neglectis faceret convicia divis ?

CORYDON

80 Immo constanti solans sua pectore fata
 81 diceret : "O pueri, quam lux hodierna negavit
 82 crastina concedet duplici cum faenore praedam.
 83 Nulla umquam veniunt durae infortunia sortis
 84 desperanda ; uno si spem delusit inanem
 85 ementita Ceres, alio felicior anno
 86 grandia composito frumenta reponit acervo.
 87 Quare agite et largo mecum decocta vetusto
 88 pisa edite, et vosmet potiorem semper ad esum
 89 invicto servate animo ; tolerata sinistro
 90 aerumna in casu fortissima pectora monstrat
 91 mascula femineo succumbere nescia ritu".

MOPSUS

92 Pingue meum exacuit sumen, non larda palatum
 93 rancida ; tunc inter convictor edulia fortis
 94 vilia consisto, quotiens lautissima desunt.
 95 Quod cogit vesana fames compulsa voluntas
 96 acriter exsequitur ; sed mens aliena repugnat
 97 ac si aloen renuens glutirem aegrotus amaram.

CORYDON

98 Immensa ingluvies denudat, et alea pernox,
 99 et meretrix lasciva ; istas torpentia pestes
 100 otia parturiunt molli gaudentia luxu.
 101 At contra duros inter versata ligones
 102 et callosa manus fossa tellure recludit
 103 thesaurum ignotum ; tensos quo dirigat arcus
 104 adnotat infixum sollers industria signum.

MOPSUS

105 Ista decent longa decoctam aetate senectam
 106 consilia, exhaustum cui sit jam sanguine corpus
 107 ardenti, et sola vicini cura sepulcri.
 108 At sua ferventes juvenili membra calore
 109 haud curant serus clauso quid Vesper Olympo
 110 aut quid purpureo sol crastinus advehat ortu,
 111 dilectamque imo suspirant Phyllida corde.

CORYDON

112 Quam petit incipiens Venerem lanugo salacem
 113 cum barba crescente secet ; juvenilia delet
 114 crimina cum studiis mutata prioribus aetas.
 115 Ipse (nec inficior) primo cum sanguis in aevo
 116 concitus arderet, caecos furibundus in ignes
 117 irrueram atque imas torrebat flamma medullas,
 118 me miserum, nulla flamma exstinguibilis arte.
 119 Non secus urebar flavo quam messis in agro
 120 accensa, indomitis cum perfurit auctus ab Euris
 121 aestus et aerias sublimis fertur in auras.
 122 Tanta nec a pluvio possunt incendia fluctu
 123 exstingui ; totum in lacrimas se solvit amaras
 124 agricola et frustra damnum irreparabile deflet.
 125 Ut melior stultam vertit sententia mentem,
 126 "Infelix Corydon, quanta est dementia", dixi,
 127 "sic vanos transire dies, nec fortibus annis
 128 missa reposcentem rastra exercere juventam.
 129 Esto pharetratam superet Galatea Dianam
 130 illecebris formosa suis, nonne ora venusta
 131 ut rosa pulchra senet, croceo quae mane rubescit,
 132 vespere sed vegetum redeunte amittit odorem ?
 133 Edita cur fertur salso Cytherea profundo ?
 134 Quod sit amans semper sudore inspersus amaro.
 135 Cur pharetratus Amor ? Tristes quod missa dolores
 136 spicula configant. Duplici cur lumine cassus ?
 137 Non oculis videat quod facta decentia claris.
 138 Cur tectum nullo corpus velamine monstrat ?
 139 Stultitia insani manifesta patescit amantis.
 140 Cur puer incedit pictis circumdatus alis ?
 141 Quod nequeat levior vernaque incertior aura
 142 ullo stare loco, et verba imperfecta relinquat,
 143 et careat firmo regnanti in pectore sensu.

144 Quin repete innumeram fudit quam prodiga dotem
145 praelarga Natura manu ; jactura pudenda est,
146 gratia cum dextris infusa recumbit ab astris.
147 Certi fige aliquid, quo se ventura senectus
148 conferat exsanguem ; longos ne differ in annos.
149 Tardantes jam pelle moras, nam mitia poma
150 caenosa ignavi non grunnit inertia porci.
151 Aestiva in fossis condens frumenta cavernis
152 non incauta hiemis magno formica futurae
153 exemplo sit, stulte, tuo, ne turpis egestas
154 inveniatur tremula mendicam aetate senectam.
155 Tristius, ut fertur, nihil est quam nuda senectus.
156 En patrias Thyrsim res oblimare nepotem
157 insanus compellit amor ; sed tempore parvo
158 evulsa ut gallus pluma nudatus abibit
159 perque omnes explosus agros. Sapiencia summa est
160 exemplo instantes alieno evadere casus."
161 His dictis mens est justo suffusa rubore,
162 spinosasque meo curas de corde revelli,
163 aspera triticeo ceu silva evellitur agro,
164 ne teneram interimat segetem et fallacibus herbis
165 luxurient rigidae per culta nitentia lappae.
166 Mox tanto ruris flagravi ardore colendi,
167 ut nimio immorerer studio ; non frigus adurens,
168 torrida non aestas vetuit, non horrida grando
169 plurimus aut imber calido demissus ab Austro.
170 Sedula sollicito reparavit cura labore
171 quod stolidus consumpsit amor. Multa undique pubes
172 ad mea ceu densae volitavit tecta columbae ;
173 et pretium non vile dedit, quo scilicet aptam
174 disceret in tenues tellurem abscindere glaebas.
175 Primus ego agricolas docui quos Franca tenebant
176 arva rudes ; at nunc possunt cum laude magistra
177 certare ac docta peregrinos arte colonos
178 vincere ; monstrati tanta est sollertia cultus.
179 Nescio qui nostram pastores rodere famam
180 mordaci coepere sono ; tumore maligno
181 invidia exultat liventi aspersa veneno.
182 Ut leo terribilis rabida stimulatus ab ira
183 in juvenile caput temeraria tela retorsi.
184 Altius infigit lassus vestigia taurus
185 grandia cui pendent hirto palearia mento.
186 Inclita Caesareas victoria venit ad aures
187 quasque vides pulchra fetas sub imagine vaccas
188 laeta fronte dedit, neque enim praesentior alter
189 cum videt illustri pastorem laude micantem.
190 Atque alias Augusta boves dedit uxor, in ista
191 quas nunc Thyrsis aget resonanti pascua cornu.
192 Ingenium nec torpet iners, quod Copia tanta
193 fundat inauditos cornu praedivite census ;
194 sed majus proculdit opus mens nescia turpi
195 ignavere situ et vita segnire palustri.
196 Venturam excubitor lucem vix nuntiat ales ;
197 excitor et tepidis rapio mea corpora stratis
198 assuetum ad studium stertenti gratius ore.
199 Praegnantem cum laeta sinus Fortuna relaxat,

200 ne posito sudore vaces. Cui provida mens est
 201 haud dormit rebus ceu glis hibernus adeptis.
 202 Parta fluunt, praeceps cursu velut unda citato,
 203 ni cura invigilet totum irrequieta per annum.

MOPSUS

204 Cum tua cycneis albescant tempora plumis,
 205 tanta fatigatae perfers incommoda vitae ?

CORYDON

206 Difficilis rigidos res est tolerare labores,
 207 Mopse, homini plumis nutrito in mollibus ; at qui
 208 jam rerum longo durarum incalluit usu
 209 huic notum grata est pondus subiisse voluptas.
 210 Si mutata foret, multos non vita Decembres
 211 cerneret ; usque adeo est solitum vertisse tenorem.
 212 Emisso umores sudore expellit iniquos,
 213 incocta et stomacho labor improbus omnia crudo
 214 digerit in numerum, partesque resolvit in omnes,
 215 efficit et valido vivax in corpore robur.
 216 Hinc nova (nec fallor) seniores musta bibentes
 217 rustica prela vident plures quam urbana per annos.
 218 Ipse ego - sed quamquam vitae bis quina peregi
 219 lustra meae, forti gero corpora plena vigore
 220 et raris tentata malis ; tam cruda senectus
 221 praeteritae ostendit non segnia facta juventae.
 222 Sum forsan nimius proprii laudator honoris,
 223 ut cuncti suevere senes qui temporis acti
 224 facta sua extollunt verbisque loquacibus ornant ;
 225 sed magis ipse ferum pungo stimulator inertem,
 226 tangat ut excurso sudatam pulvere metam.
 227 Haud spernenda rudi praestat documenta juventae
 228 ducta vel ad mediam verbosa licentia noctem
 229 annoso concessa seni ; non garrit inepte
 230 quem longa erudiit multi experientia facti.

MOPSUS

231 Sic incessanti defessum membra labore
 232 non requies alterna levat, sic omnibus horis
 233 sedula ceu medios vivet salamandra per ignes.

CORYDON

234 Annua si semper sulcatae semina terrae
 235 credideris, fiet crebros ut femina partus
 236 enixa, et vires effeta gemiscet ademptas.
 237 Demulcet dulci sudorem nocte diurnum
 238 scilicet exacti cum corda oblita laboris
 239 altus somnus habet ; cunctarum provida rerum
 240 alternas Natura vices non invida donat
 241 queis sine terrenis nihil est durabile rebus.
 242 Quae reficit major festa quam luce voluptas
 243 seu nuda in forti membra exercere palaestra
 244 nec sociis cessisse tuis, vibratave pila
 245 sublimem ingenti torquere per aera nixu,
 246 seu vastum solo saxum excussisse lacerto
 247 et fixam transisse notam, seu saltibus altis
 248 sive pedum ardenti volucrum contendere cursu ?
 249 Aut hos aut similes debet robusta juvenus
 250 exercere jocos animumque referre virilem.
 251 Magnanimum et vilem testantia pectora sexum

252 ex studiis sunt nota suis ; mens pronior ultro
 253 flammante instinctas natura exardet ad artes.
 MOPSUS
 254 Jam cano imberbis monitori cedit ephebus
 255 quem velut ipsa dies sorbum maturat acerbum.
 256 In tua sed (referas) potuit quis commoda tantos
 257 conciliare deos ; certe est hic tempus in omne
 258 publica cantari dignus per compita pastor.
 CORYDON
 259 Ardua, Mopse, fuit Francae qui pondera molis
 260 sustinet, excelsum notus super aethera Daphnis.
 MOPSUS
 261 O te felicem, totus cui rideat aether,
 262 et tellus unita simul, cui sidere ab alto
 263 candida lux fulsit primo natalis in ortu.
 CORYDON
 264 Tunc ero, terrestri si quisquam est orbe, beatus,
 265 assequar invicto cum sponsum a Caesare saltum
 266 quo mea pascantur proprios armenta per agros.
 267 Est etenim ductas aliena in pascua vaccas
 268 difficilis servare labor, ne mutua fiant
 269 jurgia. Di superi, quanta est dixisse voluptas,
 270 "Haec ovis, hic haedus, caper hic, haec pabula et hic bos,
 271 haec casa, Mopse, mea est ; nec faena aliunde petita,
 272 depastas revocant cum sera crepuscula vaccas."
 MOPSUS
 273 Cum biberis sitiens optatam hydropicus undam,
 274 majorine petes alios de gurgite fluctus ?
 CORYDON
 275 Infelix cui sit votum insatiabile pastor.
 276 Quando jam tuti tantum congegit acervi
 277 quantum hic, externae vivat non indigus arcae ;
 278 haud plures affectet opes, extinctus habendi
 279 cesset amor ; certo frenanda est fine libido.
 MOPSUS
 280 Quid si sponte daret longe majora petitis ?
 CORYDON
 281 Tangeret excordes a quanta insania sensus,
 282 si neglecta forent ; majorum ingrata deorum
 283 munera sunt numquam rapidas mittenda per auras.
 284 Sed satis est promissa dari, nec mente labasco
 285 ambigua ; semper solido stat firmitus aere
 286 regalis quod spondet apex, et principis alti
 287 manat ab immotis verbum irrevocabile labris.
 MOPSUS
 288 Rarior est corvo Caesar tuus iste nitenti,
 289 cum nullo, Corydon, aut raro in principe regnet
 290 cana et pura fides saeclo servata recenti.
 CORYDON
 291 Quantum humiles superat pinus praecelsa myricas,
 292 tantum alios claris reges supereminet actis.
 293 Dum fuerint lato squamosi gurgite pisces,
 294 dentati et celsis frendentes montibus apri,
 295 ipse meo semper cara cum conjuge Caesar
 296 pectore fixus erit ; nec magni oblivia Daphnis
 297 ulla umquam venient ; citius conversa recurrent

298 flumina, lanigero pecus omne carebit amictu
299 atque coaxatrix limosa rana palude,
300 optimus ex isto Daphnis quam corde recedat.

MOPSUS

301 Adsint ista tuis, Corydon, tria numina votis
302 semper, et optatis spirent successibus. Amen.